

*Verbale dell'incontro tra Guglielmo
Ruffo e il giustiziere Isnardo Restili*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Verbale dell'incontro tra Guglielmo
Ruffo e il giustiziere Isnardo Restili*

1327-06-21

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo septimo. Die vigesimo primo mensis iunii, decime inditionis apud tenimentum Condoiannis de quarterio Sancti Pauli de tenimento Giracii. Regnante serenissimo domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcalquerii, ac Pedemontis Comite, regnorum suorum anno nono decimo feliciter amen.

Nos Nicolaus Blasius iudex civitate Giracii, Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per Curiam ordinatus et testes subscriptis ad hoc vocati specialiter, et rogati presenti scripto publico notum facimus et testamur; quod cum magnificus vir Dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo miles, ducalis cambellanus, et familiaris esset in quodam tenimento dicto Condoiannis quod fuit quondam Georgii Zaccaria de Giracio in latere fluminis Condoiannis dictus Dominus Guglielmus pro se, et Nicolaus de Alania, vicarius Domini Fulconis Ruffi de Sinopolo ducalis cambellani et familiaris, nomine et pro parte dicti domini Fulconis, morantes in tenimento predicto prope predictum flumen, ut superius continetur nobilis egregius vir dominus Isnardus Restaili, miles ducalis, Iustitiarius Calabrie venisset versus predictum tenimentum Condoiannis ubi predictus dominus Guglielmus et Nicolaus erant. Dictus iustitiarius intrans flumine predictum Condoiannis causa destituendi cum possessione quorundam casalium que fuerunt dicti domini Georgii ut dicebatur. Dictus dominus Guglielmus dixit illis domine iustitiarius bene veneritis audiatus me parum, et rogo vos minati fuistis

mihi destituere me, et fratrem meum dominum Fulconem possessione predicti tenimenti cum hominibus, vassallis, et aliis bonis que sunt in tenimento nostro predicto. Si vos vultis intrare tenimentum predictum tamquam officialis regis et ducalis, pro ministrando iustitiam, singulis coram vobis conquirentibus prout ad vestrum spectat officium discurrendo provinciam. Parati sumus obedire mandatis vestris, velut persone regie et ducali alioquin si me, et dictum dominum Fulconem proponitis destituere possessione dicti tenimenti Condoiannis, et aliorum bonorum quas tenemus, et possidemus prout minati fuistis, ego non permittam vos intrare, et inpono vobis defensam ex parte regia et ducali ad poenam unciarum auri mille, ut non intretis pro destituendo me, et dominum Fulconem, ut superius continetur et illam poenam quam vobis imposuit notarius Nicolaus de Sancti Paulo procurator meus, nomine et pro parte mea procuratorio nomine illam ego accepto. Qui dominus iustitarius respondens dixit ipsis. Ego non venio pro destituendo vos possessione tenimenti et bonorum vestrorum terre, venio pro manutenendo et defendendo procuratores statutus per Secretum Calabrie pro procurandis casalibus que fuerunt dicti quondam domini Georgii, prout mihi iniungitur et mandatur per litteram domini Nicolai de Sereno ducalis vicarii. Post hoc, in continenti, dictus dominus interrogavit semel, bis et ter Riccardum marescallum, et Perronum Cusama, procuratores statutis ut dicitur per secretum Calabrie pro procurandis dictis casalibus ibidem presentis. Dicatis vos, intravistis unquam in possessionem predictorum casaliū et procuravistis? Dixerunt quod non. Et procuravistis alia bona que tenemus et possidemus? Dixerunt, quod non. Qui predictus dominus Guglielmus et Nicolaus de Alania,

nomine et pro parte dicti domini Fulconis, requisiverunt nos qui supra iudicem notarium et testes nostrum qui supra iudicis et notariis officium implorando ut cum ipsis interesse dicebant de premissis ad regie et ducalis Curie certitudinem et dicti domini Guglielmi, et Fulconis cauthelam habere publicum instrumentum eis conficere deberemus publicum instrumentum.

Nos vero eorum petitionibus iustis ut pote annuentes nam iusta per contibus non est, derogandus assensus ad dicti domini Guglielmi et Fulconis cauthelam et Curie certitudinem eo quod in premissis omnibus presentes fecimus presens publicum instrumentum eis exinde fieri fecimus scriptum, et subscriptum per me predictum notarium publicum, mei qui supra iudicis subscriptione, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum ipsius domini Guglielmi et Nicolai petitionibus, et rogatu. Actum anno, die, mense, loco, et inditione premissis. † Ego Nicolaus Blasius qui supra iudex civitatis Geracii testor. † Ego Riccardus Guarna miles testor. † Ego Malgerius Balderi testor. † Ego Lopez de Luna testor. † Ego Malgerius de Tragina Canonicus Giracensis testor. † Ego Petro giracensis notarius testor. † Ego Robertus Lucifero testor. † Ego Rubertus de Neapoli testor. † Ego Nicolaus de Tarsia testor. † Ego Thomasius Luciferus testor. † Ego Fulco Luciferus testor. † Ego Riccardus de dmino Giracensi, decanus giracensis canonicus testor. † Ego Petrus de domino Ioanni de Cortona testor. † Ego Guglielmo Plutinus testor. † Ego Nicolaus Tropeanus regius publicus qui supra notarius presens instrumentum scripsi, et me subscripsi.